

DOMINICA I POST NATIVITATEM DOMINI

S. ANTONII PATAVINI, O.Min. DOCTORIS EVANGELICI

Themata sermonis

Evangelium in prima dominica post Nativitatem Domini: *Erant Ioseph et Maria*, quod in duabus clausulis dividitur.

In primis thema sermonis de gratia et gloria Iesu Christi, ibi: *Disce ubi sit sapientia*.

[DE PRIMA CLAUSULA]. Item de paupertate, ibi: *Crescere me fecit Deus*.

Item de miseria divitum, ibi: *Percutiet te Dominus egestate*.

Item de humilitate, superbiorum damnatione et humilium exaltatione, ibi: *Respiciens Dominus per columnam nubis*.

Item de utili tristitia poenitentium, ibi: *Spiritus tristis*.

Item de obedientia, ibi: *Loquere, Domine*.

Item ad poenitentes et religiosos, ibi: *Issachar asinus fortis*.

DE SECUNDA CLAUSULA. Thema sermonis de superbia et humilitate cordis, ibi: *Deposuit potentes*.

Item de utili ruina ad conversos peccatores, ibi: *Erit ruina equi*.

Item de resurrectione animae a peccatis, ibi: *Facta est super me manus Domini*; et proprietate nervorum.

Item contra temporalium amatores, ibi: *Expandi manus meas*.

Item de duplici partu beatæ Mariæ, ibi: *Antequam*

parturiret; et de ipsius Filii Passione, ibi: Recordare paupertatis.

Item de quattuor anni temporibus et ipsorum significatione, ibi: *Ubi venit plenitudo temporis.*

Item in Annuntiatione vel Nativitate Domini, ibi: *Cum quietum silentium tenerent omnia.*

Item sermo moralis de poenitentia, ibi: *Cum quietum silentium tenerent omnia.*

Exordium. De gratia et gloria Iesu Christi

1. --- In illo tempore: *Erat Ioseph et Maria mater Iesu mirantes super his quae dicebantur de illo (Lc 2, 33).*

Dicit Baruch: *Disce ubi sit sapientia, ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul ubi sit longiturnitas vitae et victus, ubi lumen oculorum et pax (Bar 3, 14).* Dicitur in Psalmo: *Gratiam et gloriam dabit Dominus (Ps 83, 12);* gratiam in praesenti, gloriam in futuro. Prima quattuor praemissae auctoritatis referuntur ad gratiam, alia quattuor ad gloriam. Sapientia, a sapore dicta, est in gustu contemplationis; prudentia, in praecavendis insidiis; virtus, in tolerandis adversis; intellectus, in refutandis malis et eligendis bonis. Item, longiturnitas vitae erit sanctis in aeterna beatitudine, unde: *Ego vivo, et vos vivetis (Io 14, 19);* victus, in gaudii fruitione, unde: *Dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam etc. (Lc 22, 29-30);* lumen oculorum, in glorificatae humanitatis Christi visione, unde in Ioanne: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi (Io 17, 24);* pax, in corporis et animae glorificatione, unde Isaias: *Servabis pacem, pacem quia in te, Domine speravimus (Is I.c.).* De longiturnitate vitae et lumine oculorum dicitur in Psalmo: *Apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen (Ps 35,10);* de pace et victu, ibi: *Qui posuit fines tuos*

pacem, et adipe frumenti satiat te (Ps 147, 14). Adeps frumenti est gaudii fruitio de humanitate Iesu Christi, qua satiabuntur sancti.

Vel sic. Disce, o homo, diligere Iesum, et tunc disces ubi sit sapientia etc. Ipse est sapientia, unde in Parabolis: *Sapientia aedificavit sibi domum (Prov 9, 1)*. Ipse, prudentia, unde Iob: *Prudentia eius, idest Patris, percussit superbum (Iob 26, 12)*, idest diabolum. Ipse, virtus, unde Apostolus: *Est Dei virtus et Dei sapientia*. In ipso omnium est intellectus, cuius oculis nuda et aperta sunt omnia. Ipse, vita: *Ego, inquit, sum via, veritas et vita (Io 14, 6)*. Ipse, victus, quia panis angelorum, refectio iustorum. Ipse, lumen oculorum: *Ego, inquit, sum lux mundi (Io 8, 12)*. Ipse, pax nostra, qui fecit utraque unum (Eph 2, 14).

Hanc, o homo, disce sapientiam, ut sapias; hanc prudentiam, ut tibi caveas; hanc virtutem, ut valeas; hunc intellectum, ut cognoscas; hanc vitam, ut vivas; hunc victum, ut non deficias; hoc lumen, ut videas; hanc pacem, ut quiescas. O beate Iesu, ubi te quaeram? Ubi te inveniam? Ubi, te invento, tanta bona inveniam? te habito, tanta bona habeam? Quaere et invenies. Et ubi, obsecro, habitat? Ubi cubat in meridie? (Cf. Cant 1, 6). Vis audire ubi? Dic, obsecro. In medio Ioseph et Mariae, Simeonis et Annae, Iesum invenies. Unde habes in hodierno Evangelio: *Erat Ioseph et Maria mater Iesu etc.*

2. --- In hoc Evangelio istae quattuor personae ponuntur, et ideo quid moraliter significant videamus. Ioseph accrescens, Maria stella maris, Simeon audiens tristitiam, Anna respondens interpretatur. In Ioseph paupertas, in Maria humilitas, in Simeone poenitentia, in Anna obedientia designatur. De singulis disseramus.

I - De paupertate, humilitate, poenitentia et obedientia

3. --- Ioseph, accrescens. Cum miser homo affluit deliciis, se dilatat in divitiis, tunc decrescit, quia libertatem amisit. Sollicitudo enim divitiarum eum servum efficit, quibus dum servit, a se in se decrescit. Infelix animus, qui minor est eo quod habet: tunc minor est, cum se rei et non rem sibi supponit. Haec servilis suppositio tunc apertius cognoscitur, quando quod cum amore possidetur cum dolore amittitur. Ipse enim dolor magna servitus est. Quid plura? Nusquam vero libertas, nisi in voluntaria paupertate. Hic est Ioseph accrescens, qui dicit in Genesi: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae (Gen 41, 52). In terra, inquit, paupertatis, non abundantiae, crescere me fecit Deus: in illa, crescere; in ista, decrescere.* Unde dicitur in secundo libro Regum, quod *David proficiens et semper seipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie (2 Reg 3,1).* David, qui dicit in Psalmo: *Ego sum mendicus et pauper (Ps 39, 18), quasi lux splendens proficit, et crescit usque ad perfectam diem (Prov 4, 18), et seipso robustior fit, quia paupertas laeta et voluntaria robur tribuit.* Unde Isaias: *Spiritus robustorum, idest pauperum, quasi turbo impellens parietem (Is 25,4), scilicet divitiarum.* Deliciae vero et divitiae enervant et dissolvunt. Unde Ieremias: *Usquequo dissolveris deliciis, filia vaga? (Ier 31, 22).*

Domus autem Saul, qui interpretatur abutens, idest divitum huius mundi, qui abutuntur bonis et donis Domini in voluptate sui corporis, quotidie decrescit. Unde Moyses in Deuteronomio: *Percutiet te Dominus egestate, febre, et frigore, et ardore, et aestu, et aere corrupto, ac rubigine, et persequetur donec pereas (Deut 28, 22).* Dominus percutit, idest percuti permittit, huius mundi divitem egestate, quia semper eget; febre, quia de alterius felicitate torquetur et dolet; frigore, idest timore, ne acquisita perdat; ardore, ut non habita acquirat; aestu gulae; aere corrupto malae famae; rubigine luxuriae.

Ecce qualiter decrescit domus Saul. Domus vero David, mendici et pauperis, crescit de virtute in virtutem in terra suae paupertatis.

4. --- Sequitur de humilitate. Maria, stella maris. O humilitas! Stella praeradians, noctem illuminans, ad portum dirigens, sicut flamma coruscans et regem regum Deum demonstrans qui dicit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (Mt 11, 29)*. Qui hac stella caret, *caecus est et manu tentans (2 Pt 1,9)*, eius navis tempestate frangitur, et ipse mediis fluctibus submergitur. Unde dicitur in Exodo, quod *respiciens Dominus per columnam nubis et ignis super castra Aegyptiorum interfecit exercitum eorum, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Filii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris, et aquae eis erant quasi pro muro a dextris et a sinistris (Ex 14, 24-25.29)*. Aegyptii, quos nubes tenebrosa obnubilabat, huius saeculi divites et potentes, caligine superbiae obtenebratos, significant, quos Dominus interficiet; et subvertet rotas curruum, idest dignitatem et gloriam, eorum, quae quattuor anni temporibus circumvolvuntur; et demerget eos in inferni profundum. Filii autem Israel, quos splendor ignis illuminabat, poenitentes et pauperes spiritu significant, quos splendor humilitatis illuminat; qui sicco vestigio transeunt per mare huius mundi, cuius aquae, idest inundationes amarae, sunt eis pro muro, idest ipsos muniunt et defendunt a dextris prosperitatis et sinistris adversitatis, idest, ne favor popularis elevet, et ne tentatio carnis praecipitet.

De hoc habes in Deuteronomio: *Inundationes maris quasi lac sugent (Deut 33, 19)*. Nota quod nemo potest aliquid sugere, nisi labia comprimat. Qui habent os hians in pecuniae acquisitione, in vanaegloriae negotiatione, in populari favore, non possunt sugere inundationes maris. Difficile enim lupi a cadavere, a grano formicae, a melle

muscae, vespiliones a vino, meretrices a prostibulo, mercatores a foro separantur. Simile quid Salomon in Parabolis: *Proverbium, inquit, est: Adolescens iuxta viam suam; etiam cum senuerit, non recedet ab ea (Prov 22, 6)*. Soli vero humiles, qui labia sua comprimunt ab amore temporalium, inundationes maris quasi lac sugunt.

O stella maris! O humilitas cordis, quae mare amarum et horridum convertis in lac dulce et iucundum! O quam dulcis est humili amaritudo! quam levis tribulatio! quam sustinet pro Iesu nomine. Lapidem Stephano, craticula Laurentio, carbones igniti Vincentio dulces fuerunt: inundationes maris pro Iesu quasi lac suxerunt.

In hoc etiam verbo *sugere* notatur aviditas cum delectatione. Sola enim humilitas cum spiritus aviditate et delectatione novit sugere tribulationem et dolorem. Unde in Canticis: *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meae? (Cant 8, 1)*. Tres hic personae introducuntur: mater, soror et frater. Mater est poenitentia, quae duo habet ubera, dolorem scilicet in contritione et tribulationem in satisfactione; soror est paupertas; frater, spiritus humilitatis. Dicit ergo soror paupertas: *Quis mihi det te fratrem meum, spiritum humilitatis, ut cum aviditate sugas ubera matris nostrae? Ecce frater et soror, Ioseph et Maria, sponsus et sponsa, paupertas et humilitas. Qui habet sponsam sponsus est (Io 3,29)*. Beatus ille pauper, qui humilitatem ducit in sponsam sibi.

5. --- Sequitur de tristitia poenitentiae. Simeon, audiens tristitiam. De qua Apostolus: Tristitia, quae secundum Deum est, salutem operatur (Cf. 2 Cor 7,10). Et in Parabolis: *Spiritus tristis desiccet ossa (Prov 17, 22)*, scilicet a pinguedine lasciviae et petulantiae. Unde Iob: *Increpat per dolorem in lectulo, et omnia ossa eius marcescere facit. Abominabilis ei fit in vita sua panis, et*

animae illius cibus ante desiderabilis (Iob 33, 19-20). Lectulus est carnis delectatio, in qua anima quasi paralytica iacet, omnibus membris dissoluta. Unde in Matthaeo: *Offerebant ei paralyticum iacentem in lecto (Mt l.c.).* Increpat Dominus per dolorem in lectulo, cum animae, in carnis delectatione quiescenti, incutit dolorem de peccatis, et tunc audit tristitiam, quae omnia ossa eius marcescere facit.

Hoc est quod dicit Daniel, cum visionem vidit: *Non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me et emarcui, et non habui quidquam virium (Dan 10,8).* Cui ita evenit, panis, idest delectatio carnis, fit ei abominabilis in vita sua, et animae, idest animalitati illius, cibus ante desiderabilis. Hoc est quod dicit Daniel: *Panem desiderabilem non comedi, caro et vinum non introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum (Dan 10,3).*

Dicit Salomon: *Cor quod novit amaritudinem animae suae, in gaudio eius non miscebitur extraneus (Prov 14, 10).* Ubi myrrha tristitiae, ibi non admiscetur vermis luxuriae. Unde Isaias: *Recedite, inquit, a me, amare flebo; nolite incumbere ut consolemini me super vastitate filiae populi mei (Is 22, 4).* Sic debet dicere poenitens immundis spiritibus: *Recedite a me, amare flebo.* Sicut fumus apes, sic amara et lacrimosa compunctio expellit daemones, qui circumdant animam sicut apes favum. *Et nolite incumbere, o carnales affectus, ut consolemini me, quia, ut dicit Iob, consolatores onerosi omnes vos estis (Iob 16, 2). Renuit consolari anima mea (Ps 76, 3), consolatione vestra. Consolationes tuae, Domine, non meae - quia, vae vobis, qui habetis consolationem vestram (Lc 6, 24) -, laetificaverunt animam meam (Ps 93, 10). Nolite ergo incumbere, ut consolemini me super vastitate, idest afflictione, filiae, idest carnis, quae est filia populi mei, idest populositatis quinque sensuum*

meorum. De quo in Psalmo: *Qui subdit populum meum sub me (Ps 143, 2).*

6. --- Sequitur de obedientia. Anna, respondens, cum Samuele: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus (1 Reg 3,10);* et cum Isaia: *Ecce ego, mitte me (Is 6, 8);* et cum Saulo: *Domine, quid me vis facere? (Act 9, 6).* Dicit Ecclesiasticus: *Responsio mollis frangit iram (Prov 15, 1), et lingua eucharis in bono homine abundabit (Eccli 6, 5). Responsio mollis, humilis subditi, frangit iram superbi praelati. Unde in Parabolis: Patientia, scilicet subditi, lenietur princeps (Prov 25, 15). Ne coneris, ut dicit Ecclesiasticus, contra ictum fluvii (Eccli 4, 32), idest voluntatem praelati, sed humilia ei caput tuum (Eccli 4, 7).*

Et lingua eucharis, idest bonae gratiae, in bono subdito abundabit, ut dicat cum Iob: Voca me, et respondebo tibi. Vocanti respondet, qui sibi praecipienti ex animo obedit.

Ecce, de his quattuor virtutibus breviter praelibavimus, ut qui desiderat Iesum invenire, has personas habeat, quia in medio istarum requiescit salus. Ioseph et Maria Iesum ad templum deferunt. Simeon et Anna confitentur et benedicunt. Paupertas enim et humilitas pauperem et humilem Iesum deferunt. Paupertas defert in humeris.

7. --- Unde in Genesi: *Issachar, asinus fortis, accubans in terminis, vidit requiem quod esset bona, et terram quod esset optima, supposuit humerum ad portandum (Gen 49, 14-15).* Issachar interpretatur merces, et significat paupertatem, quae omnia temporalia abicit, ut mercedem aeternitatis recipere possit. Hic dicitur *asinus fortis.* Asinus est animal oneriferum, qui asperis et vilibus pascitur. Sic et

paupertas portat pondus diei et aestus (Cf. Mt 20, 12), grossis et asperis utitur. Panis, inquit beatus BERNARDUS, furfureus et simplex aqua, olera vel legumina simplicia nequaquam res delectabilis est, sed in amore Christi et desiderio internae delectationis, ventri bene morigerato gratanter ex his satisfacere posse valde delectabile est. Quot millia pauperum ex his vel ex aliquo horum delectabiliter satisfaciunt naturae! Facillimum quippe et delectabile esset, adiuncto amoris Dei condimento, secundum naturam vivere, si insania nostra nos permetteret.

Sequitur: *Accubans in terminis, non inter terminos (Gen 49, 14)*. Duo sunt termini, ingressus scilicet et egressus vitae nostrae. In his accubat, idest requiescit, paupertas. Considerat enim pauperrimum hominis ingressum et attendit vilissimum ipsius egressum, et ideo non vult accubare inter terminos, ut audiat, sicut dicitur in libro Iudicum, sibilos gregum (Cf. Iudic I.c.), idest suavem suggestionem daemonum. Inter terminos habitat vel accubat, qui ingressum et egressum suae vitae non attendit, sed in carnis voluptate et mundi vanitate requiescit.

Sequitur: *Vidit requiem, caelestis beatitudinis, quod esset bona et terram, aeternae stabilitatis, quod esset optima; supposuit humerum suum ad pauperem Iesum, Dei Filium, portandum*. Iesum portat, cum pro amore ipsius omne quod ei accidit adversi patienter supportat. Unde Ecclesiasticus: *Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, et in dolore sustine (Eccli 2, 4)*. Paupertas ergo portat in humeris, humilitas portat ad pectus, in brachiis. Unde in Canticis: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur (Cant 1, 12)*. In hoc diminutivo *fasciculus*, humilitas; in myrrha dominicae Passionis amaritudo designatur. Cor est inter ubera, ac si diceret humilis sponsa: Porto in corde dilectum meum

lesum, fasciculum myrrhae, idest humilem et crucifixum, ut sim humilis corde, et cruci cum ipso affixa corpore. Paupertas ergo et humilitas deferunt Iesum ad templum, idest quoadusque veniant ad caelestis Ierusalem templum, non manufactum.

Item, poenitentia et obedientia confitentur et benedicunt. Unde in Psalmo: *Confessio et pulchritudo in conspectu eius (Ps 95, 6)*, quoad poenitentem, cuius confessio ipsius est pulchritudo. Confessio enim mundat lepram peccati et decorat gratia Spiritus Sancti. Unde in Psalmo: *Confessionem et decorem*, idest poenitentes, qui confessione mundantur et gratia decorantur, *induisti (Ps 103, 2)*. Sequitur: *Sanctimonia et magnificentia in sanctificatione eius (Ps 95, 6)*, quoad obedientem, quem Dominus sanctificat sanctimonia conscientiae in mortificatione voluntatis propriae, et magnificentia vitae in executione iussionis alienae. Ecce ubi habitat rex virtutum. Habe ergo has virtutes, et invenies Dei sapientiam et Dei virtutem, Iesum.

Quem, fratres carissimi, humiliter imploremus, ut super his quattuor columnis aedificet domum nostrae conversationis, ut ipse nobiscum et nos cum ipso habitare valeamus. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

II - De vaticinio Simeonis

8. --- *Dixit Simeon ad Mariam matrem eius: Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel (Lc 2, 34)*. Dicit beata Maria in suo cantico: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles (Lc 1,52)*. *Deposuit*, idest deorsum posuit. Hoc est quod dicit Dominus in Abdia propheta: *Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrae, exaltantem solium tuum. Dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Si*

exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham, idest deorsum traham, te, dicit Dominus (Abd 1,3-4). Quaere in Evangelio: Exiit qui seminat seminare semen suum (Dominica in Sexagesima), et in Evangelio: Caecus sedebat secus viam (Dominica in Quinquagesima, prima clausula).

Deposuit ergo potentes. Hoc est quod dicitur in Daniele: Ecce vigil et sanctus de caelo descendit, et clamavit fortiter, et sic ait: Succidite arborem et praecidite ramos eius et excutite folia eius, et dispergite fructus eius (Dan 4, 10-11). Arbor, a robore dicta, huius mundi potentem significat, qui, ut dicit Iob, tetendit adversum Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est (Iob 15, 25). Iste securi morte succiditur et deorsum in infernum trahitur, et tunc rami eius, idest parentum potentia, generis nobilitas, quas solebat dilatare et extendere, praeciduntur; tunc folia, idest ventosa superbiae verba, excutiuntur; tunc fructus divitiarum et deliciarum, quos in malum suum congregavit, disperguntur.

Deposuit ergo potentes de sede, et exaltavit humiles. Hoc est quod dicit Iob: Moerentes erigit sospitate (Iob 5, 11); et iterum: Cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer. Et habebis fiduciam, proposita tibi spe (Iob 11, 17-18). Deposuit Aman superbum, et exaltavit humilem Mardocheum. Ille de sede ruit, iste eius loco surrexit. Bene ergo dicit beata Maria: Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Unde ad ipsam dicit de suo filio sanctus Simeon, in hodierno Evangelio: Ecce hic positus est in ruinam etc. Hoc est quod ipse dicit in Ioanne: In iudicium ego veni in mundum, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant (Io 9, 39). De quorum ruina dicit Isaias: Ruit Ierusalem, et Iudas concidit, quia lingua eorum, Crucifige, crucifige eum, et adinventiones eorum, scilicet: Possum destruere templum

hoc manufactum etc., contra Dominum, ut provocarent oculos maiestatis eius (Is 3, 8).

9. --- MORALITER. Dicit Ecclesiasticus: Verte impium et non erit, scilicet impius. Cecidit Saulus persecutor, et surrexit Paulus praedicator. Hoc est ergo: *Ecce positus est in ruinam*, scilicet peccatorum. De qua dicit Zacharias: *Erit ruina equi et muli, cameli et asini et omnium iumentorum (Zach 14, 15)*. In equo superbia, unde in Ieremia: *Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens (Ier 8, 6)*. In mulo luxuria, unde in Psalmo: *Nolite fieri sicut equus et mulus (Ps 31, 9)*. In camelo avaritia, unde: Non potest camelus, idest avarus, per foramen acus, idest paupertatem Iesu Christi, transire (Cf. Mt 19,24). In asino torpor negligentiae, quae est sentina omnium vitiorum. Unde dicitur asinus, quasi alta sinens. Torpor negligentiae non ad alta sinens conscendere, sed per plana semper vult incedere. Unde dixit Abraham ad pueros suos, in Genesi: *Expectate hic cum asino (Gen 22, 5)*. Pueri sunt pueriles et carnales affectus, qui expectant cum asino, idest asinino torpore et tarditate. In iumentis voluptuosa quinque sensuum delectatio designatur, de quibus Isaias: *Onus iumentorum austri. In terra tribulationis et angustiae leaena et leo ex eis, vipera et regulus volans (Is 30,6)*. Terra est caro, quae spinas tribulationis et tribulos angustiae nobis germinat. Hoc est onus iumentorum, idest quinque sensuum, qui sunt iumenta austri, idest mundani gaudii. In hac terra tribulationis et angustiae, quam iumenta conculcant et stercorant, sunt leaena luxuriae et leo superbiae, vipera irae, regulus volans invidiae et vanae gloriae.

O Domine Iesu, ruant omnes istae bestiae et iumenta, ut iumentinus peccator simul corruat et corruens spiritualis resurgat. Dicamus ergo: *Ecce hic positus est in ruinam.*

10. --- Sequitur: *Et in resurrectionem multorum. De qua habes concordantiam in Ezechiele: Facta est, inquit, super me manus Domini et eduxit me in campum, qui erat plenus ossibus mortuorum. Erant autem multa valde, siccaque vehementer. Et dixit ad me: Vaticinare, fili hominis, de ossibus istis, et dices eis: Ossa arida, audite verbum Domini. Ecce ego intromittam in vos spiritum et vivetis, et dabo super vos nervos et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem (Ez 37, 1-2.4-6).* Ossa arida sunt peccatores, qui sunt aridi ab humore gratiae, quorum cor aruit, quia obliti sunt comedere panem (cf. Ps 101, 5), omnem saporem et omne delectamentum habentem (Cf. Sap 16, 20). De quibus dicit Iob: Ossa Behemoth, quasi fistulae aeris (Cf. Iob 40, 13). Perversi quique in malitia, duri quasi ossa diaboli, quia sustentant carnales, tamquam ossa carnem, sunt tamquam fistulae aeris, quia ad modum aeris sagittas praedicationis a se repellunt, et ad ictum increpationis stridorem murmurationis emittunt. Verbis etiam confitentur Christum, ecce fistula, factis autem negant (Cf. Tit 1, 16), ecce aeris duritia.

Sed, quia ipsius Christi maior est misericordia quam ossium ariditas et duritia, ideo addit: *Ecce ego intromittam in vos spiritum et vivetis* etc. Nota ista quattuor: spiritum, nervos, carnes et cutem. In spiritu, gratiae praevenientis inspiratio; in nervis, bonarum cogitationum concatenatio; in carnibus, circa proximum compassio; in cute finalis perseverantiae extensio designatur. *Intromittam in vos spiritum et vivetis.* Unde in Genesi: *Spiravit in faciem eius spiraculum vitae* etc. (Gen 2, 7). Quaere in Evangelio: *Ductus est Iesus in desertum (Dominica I in Quadragesima, Sermo alter, De poenitentia).*

11. --- *Et dabo super vos nervos.* Multitudo nervorum est apud manus et pedes et costas et gyrationes

spatularum et collum; et ossa, quae coniunguntur ad invicem, sunt ligata cum nervo. In cuius circuitu est humiditas quaedam, et ex illa generatur et nutritur. Cum intromittit Dominus spiritum gratiae in peccatorem, tunc in eius corde oritur humiditas compunctionis, ex qua generatur et nutritur nervus bonae affectionis et bonae voluntatis, quae coniungit et ligat totum corpus boni operis.

Et succrescere faciam carnes. Hoc est quod dicit in eodem Propheta: *Auferam a vobis cor lapideum et dabo vobis cor carneum (Ez 36, 26)*, quod, scilicet compunctum, doleat compassione proximi, quia caro et frater noster est (Cf. Gen 37, 27). O cor lapideum, quod nulla moveris compassione circa proximum! Dicit enim: *Numquid custos fratris mei sum ego? (Gen 4, 9)*. Noveris quod in custodiendo illum retributio multa. Dicitur in primo libro Regum, quod *emortuum est cor Nabal intrinsecus, et factus est quasi lapis (1 Reg 25, 37)*. Noluit enim compati David, nec de suis ei dare, immo prorupit in verba contumeliae, dicens: *Quis est David, et quis est filius Isai? Hodie creverunt servi qui fugiunt dominos suos. Tollam ergo panes meos et aquas meas, et carnes pecorum, quae occidi tonsoribus meis, et dabo viris quos nescio unde sint? (1 Reg 25, 10-11)*. Hodie haec et his similia avari et usurarii, qui habent cor lapideum, dicunt pauperibus Iesu Christi.

Et superextendam in vobis cutem. Extensio cutis, perseverantia finalis. *Vos, inquit Dominus, estis qui permansistis mecum in tentationibus meis (Lc 22, 28)*. Sed, vae his qui perdiderunt sustentiam. Unde Iob: *Cutis mea aruit et contracta est (Iob 7, 5)*. Cutis aret et contrahitur, cum bonum opus finalis perseverantiae effectu denudatur. Unde Ecclesiasticus: *Denudatio hominis in fine ipsius (Cf. Eccli 11, 29)*. Tunc enim apparebit turpitudine illius.

Ecce praelibatum est quomodo Dominus ossa arida vivificat, qui *positus est in resurrectionem multorum*.

12. --- Sequitur: *Et in signum cui contradicetur* (Lc 2, 34). De quo in Matthaeo: *Et tunc apparebit signum Filii hominis in caelo* (Mt 24, 30); et Isaias: *Super montem ccdiginosum levate signum, exaltate vocem, levate manum* (Is 13,2). Mons caliginosus est diabolus: mons propter superbiam, caliginosus propter suggestionis caliginem, quam menti infert. Super quem praedicatores tunc signum levant, cum eum crucis virtute victum praedicant; exaltant vocem, cum opportune, importune arguunt, obsecrant, increpant (Cf. 2 Tim 4, 2); levant manum, cum quod praedicant voce, exercent opere.

Item, de hoc signo dicit Dominus in Ezechiele: *Signa thau super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus, quae fiunt in medio eius* (Ez 9, 4). Isti soli signo dominicae Passionis non contradicunt, quia ipsum in fronte deferunt. Qui sunt gementes et dolentes, nisi poenitentes, spiritu pauperes, qui in cruce Christi gloriantur, et super abominationibus, quae fiunt in mundo, dolent et gemunt? Infideles verbo et opere contradicunt - unde Apostolus: *Praedicamus Iesum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* (1 Cor 1, 23) -; falsi christiani, opere. *Vae*, inquit Isaias, *qui contradicit factori suo, testa de samis terrae!* (Is 45, 9), idest fictilibus. Samos civitas, ubi figulorum ars est reperta. Testa, dicta quasi tosta, est falsus christianus: tostus, quia sine devotione, fragilis opere, fictilis creatione; qui contradicit factori suo, vel Christo, qui eum, manibus in cruce affixis, finxit et, nisi per ipsum steterit, in primae dignitatis honorem restituit. Quare ergo infelix contradicit, malae vitae testimonio, factori suo, redemptori suo?

13. --- Unde conqueritur in Isaia: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas; populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper, qui immolant in hortis et sacrificant super lateres, qui habitant in sepulcris et in delubris idolorum dormiunt, qui comedunt carnem suillam, et ius profanum in vasis eorum (Is 65, 2-4). Expandi quasi largus, nihil denegans petentibus. Unde in Parabolis: *Extendi manum meam et non fuit qui aspiceret (Prov 1, 24)*. In primo adventu manus Domini fuit extenta, sed in secundo erit clausa, et tunc percutiet pugno, *et molas leonum confringet (Ps 57, 7)*. *Expandi ergo manus meas, scilicet in cruce de quibus in Canticis: *Manus eius tornatiles, aureae, plenae hyacinthis (Cant 5, 14)*. Manus Christi dicuntur *tornatiles* a tornatura Passionis, fuerunt enim clavis quasi torno perforatae; *aureae* propter operis munditiam; *plenae hyacinthis*, idest vitae aeternae praemiis; e quibus primum hyacinthum meruit accipere latro: *Hodie mecum eris in paradiso (Lc 23, 43)*.**

Tota die, inquit, et nocte, quia quando dies mundanae prosperitatis nobis arridet, tunc debemus recordari mortis Iesu Christi. Unde dicitur, quod sol in ipsius morte obscuratus est. Sol mundanae gloriae debet nobis obscurari in memoria Passionis dominicae.

*Expandi, inquit, ad populum incredulum. Dicit Isaias: *Qui incredulus est infideliter agit (Is 21, 2)*. Dicit AUGUSTINUS: Credere in Deum est Deum amare, et in eum ire, et eius membris incorporari. Qui ita non facit, mentitur cum dicit: Credo in Deum. Incredulus ergo est qui non ita credit et infideliter agit: eius fides est mortua, quia caret caritate.*

Qui graditur in via non bona, lata et spatiosa, quae ducit ad mortem (Cf. Mt 7, 13). Simile habes in Parabolis:

Homo apostata vir inutilis, graditur ore perverso, digito loquitur, annuit oculis, terit pede (Prov 6, 12-13). Post cogitationes suas, de quibus in libro Sapientiae: Perversae cogitationes separant a Deo (Sap 1, 3); et: Spiritus sanctus aufert se a cogitationibus quae sunt sine intellectu (Sap 1, 5).

Populus qui ad iracundiam, idest vindictam, provocat me, studio delinquendi. Unde Sophonias: Vae provocatrix et redempta civitas (Soph 3, 1), ac si diceret: Illi ad iracundiam me provocant, quos meo sanguine redemi.

Ante faciem meam semper, idest aperte, quod peius est. Peccatum suum, inquit Isaias, quasi Sodoma praedicaverunt, nec absconderunt (Is 3, 9).

Qui immolant in hortis, ecce luxuria. Unde Isaias: Erubescetis super hortis Is 1, 29), idest locis voluptuosis, quos elegeratis luxuriae vestrae.

Et sacrificant super lateres, ecce avaritia. Unde in Exodo: Paleae non dabuntur vobis, et reddetis consuetum numerum laterum (Ex 5, 18). Multoties evenit quod avaris et usurariis paleae, idest divitiae, subtrahuntur, et tamen nihilominus lateres avaritiae, ad minus voluntate et verbo, diabolo conficiunt. Vel, super lateres sacrificant qui divinum officium iuxta ignem vel lectum et huiusmodi Domino persolvunt.

Qui habitant in sepulcris, ecce detractio. Sepulcrum, inquit, patens est guttur eorum etc. (Ps 13, 3). Et in delubris idolorum dormiunt, ecce hypocrisis, quae tamquam idolum praetendit speciem religionis, sed caret veritate operis. Heu! quot hodie cultores idolorum, qui simulacrum, alienam sanctitatem simulans, venerantur.

Qui comedunt carnem suillam, ecce gulae spurcitia;

et ius profanum in vasis, idest cordibus, eorum, ecce cogitationum immunditia. Qui haec operantur signo dominicae Passionis contradicunt.

14. --- Sequitur: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius (Lc 2, 35)*. Dolor, quem beata Maria sustinuit in Passione sui Filii, fuit quasi gladius, qui ipsius animam pertransivit. Hoc est quod dicit Isaias: *Antequam parturiret peperit (Is 66, 7)*. Nota quod beatae Mariae duplex fuit partus: unus in carne et alius in spiritu. Partus carnis fuit virgineus et omni gaudio plenus, quia Virgo peperit sine dolore gaudium angelorum. Unde dicit cum Sara in Genesi: *Risum mihi fecit Dominus; quicumque audierit corridebit mihi (Gen 21, 6)*. Beatae Mariae debemus corridere et congaudere in sui Filii Nativitate; debemus et ei condolere in illius Passione, cuius animam ipsius pertransivit gladius, et tunc fuit secundus partus, dolorosus et omni amaritudine plenus. Nec mirum, Dei enim Filium, quem, Spiritu Sancto cooperante, Virgo conceperat, Virgo pepererat, videbat ligno clavis affigi, inter latrones suspendi. Quid mirum si gladius eius pertransivit animam? *Attendite et videte, si est dolor sicut dolor eius (Lam 1, 12)*. Antequam ergo parturiret in Passione, peperit in Nativitate.

15. --- MORALITER. Dicit Ieremias in Threnis, in persona Iesu Christi, ad Patrem: *Recordare paupertatis et transgressionis meae, absinthii et fellis (Lam 3, 19)*. Passio Christi dicitur transgressio, eo quod omnium martyrum dolorem et passionem est transgressa. Unde dicit Lucas, quod *Moyses et Elias dicebant excessum eius, idest Passionem, quae excessit omni passioni, quem completurus erat in Ierusalem (Lc 9,31)*. Cum hoc vir iustus attendit, statim subdit quod sequitur in eisdem Threnis: *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea (Lam 3, 20)*. O Fili Dei, *memoria memor ero* - verbi geminatio nimium affectum exprimit digentis - *paupertatis* tuae,

quae tanta fuit, quod in morte non habuit sudarium, quo involveretur, vel monumentum, quo sepeliretur, nisi ei sicut pauperi mendico fuisset exhibitum, intuitu misericordiae et eleemosynae; *et transgressionis*, idest Passionis, qua transgressus es omnem humanum dolorem. Unde in Ioanne: *Egressus est, inquit, Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron (Io 18, 1)*, qui interpretatur tristis maeror. Omnem enim tristitiam et maerorem in Passione fuit transgressus. Omnes martyres antequam passionem sustinerent, quanta in ea esset vis doloris ignorabant, et ideo non tantum dolebant quantum dolerent si scirent. Dominus vero, qui omnia novit antequam fiant, antequam ad Passionem accederet, eius vim doloris omnino noverat, et ideo non mirum si plus omnibus aliis dolebat. *Absinthii et fellis*, de quo in Psalmo: *Dederunt in escam meam fel (Ps 68, 22)*, ut dicitur, tauri, quo nihil amarius. Hoc cum recordor, tabescit in me anima mea, quam transverberat gladius tuae Passionis.

Quod cum fit, tunc, ut ibi sequitur, *revelantur ex multis cordibus cogitationes (Lc 2, 35)*. Hoc est quod dicit Iob: *Qui revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis iob 12, 22)*. Cum Dominus transverberat animam gladio suae Passionis, tunc *profunda*, idest vitia, quae procul sunt a fundo sufficientiae, quia numquam dicunt: *Sufficit*, sed semper: *Affer, affer (Cf. Prov 30, 15)*, *revelat de tenebris*, idest caecitate mentis, in contritione cordis, ut homo ipsa cognoscat, et cognita in confessione aperiat; de qua subditur: *et producit in lucem*, scilicet confessionis, *umbram mortis*, idest ipsum mortale peccatum.

16. --- Huic Evangelii clausulae concordat illa particula hodiernae epistolae: *Ubi venit plenitudo temporis (Gal 4,4)*. Si enim, ut dicit Ecclesiastes, *omni negotio tempus est (Eccle 8, 6)*, et Ecclesiasticus, *sapiens*

tacebit usque ad tempus (Eccli 20, 7), probabile est Deum in negotio salutis humanae et emissionem Verbi sui tempus congruum observare. Nota quod, in anno quattuor sunt tempora: hiems, ver, aestas, autumnus. Ab Adam usque ad Moysen fuit quasi hiems: Regnavit, inquit Apostolus, mors ab Adam usque ad Moysen (Rom 5, 14). Ver fuit a Moyse usque ad Christum. In hoc vere coeperunt flores, fructum promittentes, pullulare. Cum autem venit aestas, quae est plenitudo temporis, qua arbores replentur pomis, tunc misit Deus Filium suum, factum ex muliere (Gal 4,4).

Super hoc habes concordantiam in Levitico: *Dabo, inquit, vobis pluvias temporibus suis et terra gignet germen suum et pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem; et comedetis panem vestrum in saturitate (Lev 26, 3-5). Dominus dedit pluviam, cum ros aream fudit, et pluvia in vellus descendit, hoc est, cum, Angelo annuntiante, Virgo Dei Filium concepit. Terra germen genuit, cum ipsa Virgo Salvatorem mundo edidit, in cuius praedicatione et miraculorum operatione arbores, idest apostoli, fuerunt repleti virtutum pomis. Et messium tritura, idest Passio Domini, qua fuit attritus propter scelera nostra apprehendit vindemiam, idest Sancti Spiritus infusionem, qua inebriati fuerunt apostoli: Musto, inquit, madere deputant quos Spiritus repleverat. Et ipsa vindemia occupavit sementem, idest ipsorum praedicationem, statim enim coeperunt praedicare et dicere: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi (Act 2, 38).**

Autumnus erit in caelesti beatitudine, in qua comedent sancti panem in saturitate, *et sedehunt, ut dicit Michaeas, subter vineam suam et subter ficum suam, et non erit qui exterreat (Mich 4,4).*

Sequitur: *Factum sub lege (Gal 4,4)*, idest legis observantiis subiectum: *Non, inquit, veni solvere legem, sed adimplere (Mt 5,17), ut eos qui sub lege erant redimeret (Gal 4, 5)*. Simile quid habes in epistola ad Hebraeos: *Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, idest diabolus; et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam subditi, obnoxii erant servituti*. Ecce habes aperte quomodo positus fuit in ruinam daemonum et resurrectionem multorum. Unde sequitur: *Ut adoptionem filiorum reciperemus (Gal 1.c.)*. Quanta gratia! servos adoptavit in filios! *Si autem filii, et heredes: heredes quidem Dei coheredes autem Christi (Rom 8, 17)*.

III - In Annuntiatione vel Nativitate Domini et de poenitentia

17. --- Huic epistolae particulae concordat introitus hodiernae missae: *Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus a regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminii terram prosiliit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans; et stans replevit omnia morte, et usque ad caelum attingebat stans in terra (Sap 18, 14-16)*. Hic est textus litterae in libro Sapientiae: *Cum quietum silentium contineret omnia (Sap 18, 14)*.

Hoc est quod dicit Dominus in Luca: *Cum fortis armatus, idest diabolus, custodit atrium suum, idest mundum vel infernum, in pace sunt ea quae possidet*. Unde Sennacherib, in quo ipse diabolus figuratur, dicit in Isaia: *Invenit quasi nidum, idest impotentes se tueri, manus mea fortitudinem populorum; et sicut colliguntur ova quae derelicta sunt, scilicet a matre sic universam terram ego congregavi, et non fuit qui moveret pennam, idest manum contra me, et aperiret os et ganniret (Is 1.c.)*.

Ecce quomodo quietum silentium continebant omnia.

Et nox in suo cursu medium iter haberet. Medium dicitur respectu extremorum. Extrema noctis sunt conticinium et aurora. Ab Adam usque ad legem fuit quasi conticinium, a lege usque ad beatæ Mariæ Annuntiationem fuit quasi media nox, in qua præcepti transgressio designatur. Nec Adam in paradiso, nec populus in deserto præceptum custodivit; omnes huius noctis caligine erant obtenebrati, et ideo egebant aurora, idest dominici adventus beneficio, qui incepit in angelica salutatione. Principium noctis fuit ad Hevam in serpente diabolica suggestio. Initium diei fuit ad Mariam angelica salutatio. Et tunc, o Pater, omnipotens tibi consubstantialis sermo, idest Filius tuus a regalibus sedibus, idest a sinu tuæ maiestatis, de quo Ioannes: *Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse narravit.*

Durus debellator. Hoc est quod dicitur in Luca: *Si autem fortior illo supervenerit (Lc 11, 22).* Qui portas aereas contere et vectes ferreos confringere venerat, sine dubio oportebat ut durus debellator fuisset. De diabolo dicit Dominus in Iob, quod reputat *quasi paleas ferrum, et quasi lignum putridum aes. Non jugabit eum vir sagittarius; in stipulam versi sunt ei lapides fundæ. Quasi stipulam aestimabit malleum, et deridebit vibrantem hastam (Iob 41, 18-20).* Quid plura? *Factus est ut nullum timeret (Iob 41, 24).* Oportuit ergo ut durus debellator esset, in quo quidquam non haberet, qui eum spoliare veniebat.

In mediam terram, quæ media est inter caelum et infernum, exterminii, idest quam diabolus exterminaverat, idest extra terminos vitæ æternæ posuerat. Unde de eo dicit Isaias: *Numquid iste est vir qui conturbavit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum et urbes eius destruxit? (Is 14, 16-17) prosiliit, iunctis duobus*

pedibus divinitatis et humanitatis.

Gladius acutus. Hoc est quod dicit Apostolus: *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti* etc. (Hebr 4,12). Gladius est divinitas, qui in vagina humanitatis fuit absconditus. Unde Isaias: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator (Is 45, 15)*. Hoc gladio transfossus fuit diabolus, qui terram exterminabat. Unde Isaias: *Finitus est pulvis, consummatus est miser, defecit qui conculcabat terram (Is 16, 4)*.

18. --- ***Insimulatum imperium tuum portans.*** Dicit Ioannes: *Omnia dedit ei Pater in manus (Cf. Io 13, 3)*. Et iterum: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt (Io 16, 15)*. Item: *Mea omnia sunt tua, et tua mea sunt (Io 17, 10)*. Portavit ergo imperium Patris, qui dedit ei potestatem omnis carnis, potestas eius potestas aeterna, qui imperat ventis et mari, et obediunt ei (cf. Lc 8, 25). ***Insimulatum imperium portans,*** hoc est quod dicit Marcus: *Erat docens eos quasi potestatem habens, et non sicut scribae (Mc 1, 22)* eorum, qui in hypocrisi et simulatione docebant. Et in Luca: *Quod est hoc verbum, quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus et exeunt? (Lc 4, 36)*.

Et stans replevit omnia morte. Stans, expansis manibus in cruce, morte sua omnia quae fuerant vacuata, per primi parentis inobedientiam, replevit. De cuius plenitudine nos omnes accepimus (Cf. Io 1, 16).

Et usque ad caelum attingebat, in quo divinitas, sapientia enim attingit a fine usque ad finem fortiter (Cf. Sap 8, 1), ***stans in terra,*** in quo humanitas designatur. Dicit in Ioanne: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, Filius hominis, qui est in caelo (Io 3, 13)*. De eo dicitur in Iob: *Excelsior caelo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura eius, et latior mari (Iob 11, 8-9)*.

Quem, fratres carissimi, humiliter imploremus, ut nos faciat a vitiis ruere et in virtutes resurgere, gladium suae Passionis animam nostram pertransire, qua ad generalis resurrectionis gaudium mereamur pervenire. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

19. --- *Cum quietum silentium contineret omnia.*
MORALITER exponatur. Dicit Iob de diabolo: *Sub umbra dormit, in secreto calami et locis humentibus (Iob 40, 16).* In umbra superbia, quae dicitur umbra mortis, idest diaboli. Sicut enim umbra corpus sequitur, sic superbia diabolum. Unde dicitur in Apocalypsi: *Et ecce equus pallidus, et qui sedebat super eum nomen illi mors; et infernus sequebatur eum (Apoc 6, 8).* Ecce equus, miles et scutifer. Equus pallidus est hypocrita; miles enim, nomen [illi] mors, diabolus; scutifer, infernus, idest superbia, quae equum hordeo et aqua, idest austeritate abstinentiae pascit, ut videatur hominibus ieiunans, cui sellam fictae humilitatis supponit, quem freno silentii infrenat. *Stultus*, ut dicit Salomon, *si tacuerit, sapiens reputabitur (Prov 17, 28)*, sic et hypocrita, sanctus. Super hunc equum mors ascendit, per mundum discurrit, laudes venatur, salutationes in foro, cathedras in synagogis et primos recubitus in cenis (Cf. Mt 23, 6-7). Non est superbia super superbiam hypocritae, simulata aequitas non est aequitas, sed duplex iniquitas. Item, in calamo, a quo calamitas derivatur, avaritia, cuius vacuitatem, quae numquam dicit: *Sufficit*, sequitur calamitas aeterna. In locis humentibus gula et luxuria designantur. Humiditas enim mater est corruptionis, ex qua vermes et similia generantur. In superbis, avaris et luxuriosis, dormit et quiescit diabolus, et tunc quietum silentium continent omnia membra eorum. Cor enim tacet a bona cogitatione, lingua a Dei laude, manus a recto opere. Dicit Isaias: *Vae mihi, quia tacui (Is 6, 5).* Vae aeternae damnationis est in tali silentio.

Et nox in suo cursu medium iter haberet. Nox est dicta a nocendo, quia nocet oculis, et significat mortale peccatum, quo obscuratur lumen rationis. Qui ambulat in nocte offendit. Huius noctis extrema sunt conticinium et aurora, idest consensus mentis excaecatae et infusio gratiae, quorum medium est ipsa actio et consuetudo peccati. De hoc medio itinere dicitur in Psalmo: ***Iter impiorum peribit (Ps 1,6).***

Quod tunc evenit, cum ***omnipotens sermo prosilit***, idest Sancti Spiritus gratia, quae bene dicitur omnipotens sermo: omnipotens, quia omnia salutis obstacula potens est irrumpere; sermo, quia serit et inserit in mente virtutes, vel quia servat mentem, quam sanavit a peccato. Unde in libro Sapientiae: Non herba, idest viror divitiarum, qui cito arescit, nec malagma deliciarum sanavit eos, sed omnipotens sermo tuus, Domine, qui sanat universa, ***a regalibus sedibus*** divinae benignitatis et miserationis. Unde Ioel: ***Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quoniam benignus et misericors est (Ioel 2, 13).***

20. --- Durus debellator, in contritione. Gratia enim dicitur durus debellator, quia tamquam malleus mentis duritiem conterit: Nonne verba mea quasi ignis, et quasi malleus conterens petras?

In mediam terram, idest mentem peccatoris, quae dicitur terra, quia terrena sapit; media, quia inter misericordiam et iustitiam posita. Unde dicit in Ioanne, quod ***remansit Iesus solus et mulier in medio***, misericordiae scilicet et iustitiae, ***stans.***

Exterminii. Duo sunt termini: ingressus et egressus vitae nostrae. Cum mens hominis in his non habitat, hos non cogitat, tunc est exterminata, idest extra terminos posita. Dicit Isaias: Circuit clamor terminum Moab (Cf. Is

15, 8), in quo peccator designatur, in cuius utroque termino est clamor: cum ingreditur mundum, clamans plorat; cum egreditur, sui plorant. Unde in Ecclesiaste: *Circuibunt, scilicet cum cadavere, in platea plangentes (Eccle 12, 5).*

Sequitur: *Gladius acutus*, in confessione. Gratia tunc est gladius acutus, cum linguam peccatoris acuit in confessione, ut dicere possit cum Isaia: *Posuit os meum quasi gladium acutum (Is 49, 2).* De quo dicit Dominus Ezechieli: *Et tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum, radentem pilos, et duces per caput tuum et barbam tuam (Ez 5, 1).* Peccator gladio confessionis debet radere caput, in quo mens, ut nullum peccatum remaneat in conscientia, et barbam, in qua boni operis fortitudo designatur, ut non in se sed in Domino, a quo est omne bonum, confidat.

Unde sequitur: *Insimulatum imperium tuum portans.* Vera confessio simulationem non novit, quae conscientiae veritatem elucida in conspectu Altissimi et sui confessoris, et tunc portat insimulatum imperium Domini. Nota quod, confessionis quattuor sunt inimici: amor peccati, pudor confitendi, timor poenitentiae, desperatio veniae. Qui istos quattuor hostes in confessione omnino superat, sine dubio insimulatum Domini imperium portat.

Sequitur: *Et stans replevit omnia morte*, in satisfactione. Gratia tunc stat, cum poenitentem viriliter facit perseverare in poenitentia, ut omnia membra sua repleat morte, idest mortificatione, ut mortuus peccato vivat Deo, et tunc de eo poterit dici illud quod sequitur: *Et usque ad caelum attingebat, stans in terra.* Gratia usque ad caelum attingit, stans in terra, cum poenitentem, adhuc in carne positum, caelesti conversatione caelum facit attingere, ut dicat cum Apostolo: *Nostra conversatio in caelis est (Phil 3, 20).*

Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut Sancti Spiritus gratiam in mediam exterminii terram mittat, quae mentis duritiam conterat, linguam in confessione exacuat, corporis membra mortificatione repleat, qua caelesti conversatione caelum mereamur attingere. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.